



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

16. Dei potentia contra potentes ostensa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

cient, qui neque corpora, neque facta magna nôrunt æstimare? Aliter ille censuit, qui dixit: *Dominus fortitudo plebis suæ*; Psal. 27. 8. & alter: *dedit Dominus ipsi Chaleb fortitudinem*. Quam quia Eccli. 46. 11: Deus dat, à Deo petere; & si dedit, Deo in acceptis referre debemus, neque de corporis proceritate, statura, viribusque insolescere; ne donis illum suis offendentes, ad iram & vindictam prouocemus.

Quippe etiam in his potentiam suam facit manifestam, vt dicere debeamus: *Non est fortis sicut Deus noster*; coram quo, *gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ*. Ita enim, potens est, vt potentes deponat de sede sua, & excelsos hos possit humiliare. *Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus: Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplina inuenerunt: propterea perierunt*. Demonstratum est hoc in illis, qui dixerunt: *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad calum, & celebremus nomen nostrum*. Sed diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt adificare ciuitatem. Ex qua historia Poëtæ fabulam texuerunt, de terrigenis gigantibus, qui regnum cæleste affectârint, & tentârint Deos inde detrudere. Apud quos coniu-rati calum rescindere fratres,

*Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,  
Scilicet atq; Ossa frondosum imponere Olympum.  
Ter pater extructos deiecit fulmine montes.*

Virgil. lib. 1.  
Georg.

Fingunt etiam, huius rei causa, Deos omnes mutatis formis delituisse,

*Emissumq; ima de sede Typhoea terra  
Cælitibus fecisse metum, cunctosq; dedisse  
Terga fuga.*

Donec ad Phlægram

*Iuppiter omnipotens misso perfregit Olympum  
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossa;*

Ouid. lib. 1.  
Metam.

Sepultaque sunt totis montibus dira periurissimorum mortali-um corpora. Ac vt appareret, potentes potenter tormenta passuros, (*Fortioribus enim fortior instat cruciatio*)

Sapi. 6. 9.



Virgil lib 3.  
Æneid.

Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus  
Urgeri mole hac : ingentemq; insuper Atnam  
Impositam, ruptis flammam expirare caminis ;  
Et fessum quoties mutat latus, intremere omnem  
Murmure Trinacriam, & calum subtexere fumo.

XVII.

Iob. 26. 5.

Matth. 25. 41.  
4. Reg. 1. 10.

Leon. Lessius  
l. 13. de per-  
fect. diu c. 7.  
post. Ioseph.  
à Costa lib. 1.  
c. 19. de nat.  
noui orbis,

Hæc quidem fabulæ, quæ docent, superbos alijsque sce-  
leribus coopertos, vel dignos esse, qui diluuiò obruantur, ve-  
dici possit : *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum  
eis* : vel etiam tota terra, ad hunc modum, in inferno sepeli-  
endos, vbi eos formidabilis illa sententia, *Discedite à me, male-  
dicti*, fulminabit. Quid aliud contigit militibus illis, quibus  
Elias dixit : *Si homo Dei sum, descendat ignis de celo, & deuoret  
te, & quinquaginta tuos ?* Et, vt historijs rem confirmemus,  
*Legimus*, inquit Leonardus Lessius, *etiam in historia Peruanæ,  
gentem quamdam gigantea magnitudinis huic flagitio (Sodomita-  
rum) deditam simili modo igne celesti fuisse absumtam: descendisse  
enim è celo specie visibili iuuenem instar solis splendens, qui fulmini-  
bus superne in eos vibratis omnes deleuerit; ita ex traditione maio-  
rum narrare incolæ, & etiamnum reperiri vestigia adustionis, tum  
in saxis, tum in ossibus eorum, qui extincti. Et nostra memoria in  
Pegu India Orientalis, cum populus esset innumerabilis, & aliquot  
millionibus capitum censetur, varijs cladibus ad maximam pau-  
citatem est reductus: cuius causa non videtur alia, quam quod huic  
sceleri præ ceteris populis fuerint addicti. Quod si Deus istud pecca-  
tum adeò seuerè in infidelibus illis, eius iustitiam & præcepta igno-  
rantibus, vindicauit, & in ipsa vindicta tot ire sue vestigia im-  
pressa reliquit: quid expectandum Christianis, qui post tot beneficia  
diuinitus accepta, post notitiam diuine voluntatis, post tot vitiorum  
exempla ab illo non abstinent? Tanta profecto eos manet tormento-  
rum acerbitas, vt acrimonia supplicij Sodomorum illius comparati-  
one leuis merito videri possit, si iusto examine pensitentur.*

XVIII.

Cælius lib. 5.  
cap. 21.

Ne porro istiusmodi homines, aut ob immanium corpo-  
rum pulchritudinem & amplitudinem, aut ob robur ac vires  
suas insolescant & superbiant, & ipsi celo arma inferant, alijs  
etiam modis diuina prouidentia tales aut deiecit, aut extirpa-  
uit. Milonem Crotoniatam tradunt, egisse omnia super quam  
homo